



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

XIV. An, & quomodo dandum pestiferis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

quàm ex sigillo confessionis adhuc in statu esse peccati mortalis : nam indignis, quantum fieri potest, Sacramenta conferre non debes, ne sis minister infidelis.

SECTIO III.

De Communione grauiter infirmorum, seu, quod idem est, de Viatico.

NVM: XIV.

De morbo contagioso infectis.

Pestiferâ lue periclitanti Viaticum ne denega : hîc iterum habet locum illud boni Pastoris : *Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis* : nam licet hoc Sacramentum minùs sit necessarium, quàm Baptismus, aut Pœnitentia ; maximum tamen momentum habet ad bene, feliciterque moriendum : ex quo momento pendet æternum. Quanquam non vsque adeò præsens tibi inde periculum, neque magnoperè pertimescendum video ; si (quod facilè fieri potest) diligenti-

gen-

gentiam, curamque adhibeas, ut malum praevertas, aut amoliaris. In primis si iis remediis, & modis utare, quos ex Medicorum, & prudentia praescripto recensui, cum de pestiferorum Confessione agerem: si utaris tersa veste, neque lanea, quae venenum facilius attrahit, & seruat; si non ieiunus, si munitus alexipharmacis, quae facile haberi possunt, ad infirmum accedas; si ad limen deportari is possit, ubi ad mensulam est sacro linteolo, aut patenam sacram Hostiam, ore quasi lambendo sumat: verum nescio, an id in usu sit; & forte erunt, qui improbent; linteum illud deinde comburi, patenam abluere curandum foret. Expeditius etiam fiet, si Hostiae sacram particulam liquori immittas, quem infirmus hauriat, ex sua alienae manu. Certè constat primos Christianos Eucharistiam linteolo excepisse, ac secum domum deportasse, & per se sumpsisse tempore persecutionis;

tionis;

tionis: quæ tunc, eadem hîc excusare potest necessitas; sed vereor, ne quis hoc etiam improbet. Sunt, qui vtantur bacillo oblongo, in cuius extremitate lunula argentea sacram. Hostiam ori infirmi admoueat, aliquo, si opus sit, dirigente, vt tutò excipiatur: eo tamen instrumento vt tu prior vtaris, non admodum consulo, vt neque modis suprâ allatis, inconsulto Episcopo: malim, quod religiosius, & magis in vsu est, conuerso vultu ad eam infirmi partem, vnde aura minùs afflat, & nonnihil auerso à contagioso halitu, face ardente ab alio admotâ ipse extremis digitis Eucharistiam ori communicaturi admo-ueas, mox digitos ad flammam lustres, aut probè aquâ diluas: cum verò domum reuerteris, vestem muta, & vel ad ignem, vel in aquâ venenum, si quod contraxit, expies, priusquàm ipse contrahas. Quòd si verò ne istis quidem remediis, & mediis satis tuæ
vitæ

vitaē cautum existimes, plurimoque te metu angis sentias, sunt, qui tibi indulgent, ut propius non accedas, praesertim si tuo ex periculo periclitentur plures, quibus consuli per alium Sacerdotem non nisi tardè, aut aegrè poterit: quod eo casu minùs aegrè consenserim; si infirmus peccati grauioris minimè sibi sit conscius, aut quòd faciliori viâ, & minori periculo sit, si eminùs absolui à peccatis possit, & Viaticum acceperit.

NVM: XV.

De Phreneticis, & usu rationis carentibus in vita periculo constitutis, & iis, qui sine Sacramenti irreuerentiâ non videntur Viaticum sumpturi.

Semper attendendum Parocho, ne fiat irreuerentia Sacramento: ut si periculum sit vomitûs ex medicina, vel aliunde; aut expuitionis; aut ne species deglutiantur. Igitur Phreneticis, aliisque ratione carentibus, si

Eucha-